

» et superiores et monasteriorum abbates, commendatarii et alii
» administratores regimine et administratione ecclesiarum et mona-
» steriorum eorundem, reliqui vero ab eis omnium et singulorum
» beneficiorum, dignitatum, personatum, administrationum et offi-
» ciorum, canonicatum et praebendarum, aliorumque beneficiorum
» ecclesiasticorum, quae tunc obtinebunt, et graduum ad quos pro-
» moti forent, privationis poenam, sine ulla spe restitutionis ad ea,
» incurrant similiter eo ipso : de quibus possit et debeat per sedem
» apostolicam et ab illa facultatem habentes apostolica auctoritate
» dumtaxat absque alia declaratione incursus poena huiusmodi illico
» libere provideri. Concedimus tamen quod in cathedralibus et aliis
» collegiatis et non collegiatis ecclesiis ac domibus praedicatorum,
» minorum aliorumque religiosorum et saecularum duo, tres, qua-
» tuor, quinque, vel sex, secundum magnitudinem et parvitatem ec-
» clesiarum vel domorum, conversi et illiterati vel clerici in minoribus
» ordinibus constituti et in ecclesiis parochialibus pro ministrandis
» baptismatis parvulorum, poenitentia morientium et aliis ecclesia-
» sticis sacramentis, quae ministrantur tempore interdicti, earum
» rectores seu alias curae animarum praepositi ibidem licite va-
» leant remanere. Ecclesiis autem et monasteriis, domibus et locis
» ecclesiasticis, in quibus, interdicto huiusmodi durante, missae et
» divina officia fuerint celebrata contra interdictum huiusmodi, et
» quorum personae contra mandatum nostrum in illis remanere
» praesumpserint, omnes gratias, omnia privilegia et indulta adimi-
» mus : ita ut eis in posterum nullatenus suffragentur. Ad repri-
» mendum praeterea eorundem venetorum ad bellum tam perni-
» ciosum conatus, universis et singulis ducibus, marchionibus,
» communitatibus, baronibus, domicellis, feudatariis, vicariis et vas-
» salis, ac aliis quibuscumque in temporalibus praedictae romanae
» ecclesiae mediate vel immediate quomodolibet subjectis et non
» subjectis, districte praecipimus et mandamus, ne ad stipendia eo-
» rundem ducis, Consilii et Communis Venetiarum aut eis faven-
» tium in praemissis militare aut eorum stipendia capere, seu ad